Ser.mo Rex.

30 Martij 1602

10

6

ll 19

Omnibus notum, perspectumq. est, Religiosos homines è Divi Dominici instituto cùm doctrina, cùm vitæ exemplo plurimam Universo Christiano orbi utilitatem attulisse. Hunc Præfectus Ordinis generalis mittit in Poloniam fratrem Dominicũ Landũ Florentinũ, Virum sanè probum, pium, atq. prudentem, qui non solum propria, sed et Apostolica auctoritate cænobia eidem Ordini subiecta visitet, ac, ubicunq. fuerit opus, ad optimã priscã illam normam redigat. Facere itaq. non potui, quin à M.te V. etiã, atq. etiã petam, ut ipsum benignè excipere, favoreq. prosequi velit; nimirũ cum ingenti animi sui pietate dignũ fuerit, et me vel hoc inprimis nomine sibi devinctum reddet. Quod reliquũ est, M.ti V. prospera, feliciaq. omnia a Deo evenire desidero

Romæ. 30. Martij M.DCII.

M.tis Vræ

Devotissimus Servitor

A. Card.lis Montaltus

Ser.mo ... Regi Poloniæ.

66

Serenis.mo Principi Sigismundo tertio
Poloniæ, et Suetiæ Regi

Cardinalis Montaltus
respondet Dominicanum